MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80408-10

AUTHOR:

HEIMSOETH, FRIEDRICH

TITLE:

FRIDERICI HEIMSOETHI COMMENTATIO...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1878

Master Negative #

91-80408-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Heimsoeth, Friedrich, 1814-1877.
...Friderici Heimsoethi commentatio de parodi in Aeschyli fabula Thebana conformatione. Bonnae, typis Caroli Georgi, [1877].
16 p. 28½ cm.
At head of title: Index scholarvm ...in Vniversitate Fridericia Gvilelmia Rhenana...1877-78.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 15
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1-13-92 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS A. CIƆIƆCCCLXXVII—LXXVIII

A DIE XV M. OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

PRAECEDIT FRIDERICI HEIMSOETHI COMMENTATIO
DE PARODI IN AESCHYLI FABVLA THEBANA CONFORMATIONE

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIVERS. TYPOGR.

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

COMMILITONIBVS

S.

In memoriam viri celeberrimi, qui olim per quinque et quod excedit lustra hisce lectionum Bonnensium indicibus praefatus est, Friderici Ritschelii, litteris nuper erepti, quaestionem hodie disceptare iuvat ad eam tragoediam Aeschyleam pertinentem, quam ille per vitam suam in scholis tractare solebat.

Nempe parodi fabulae Thebanae emendatio pendet e cognitione eius cui poeta hoc carmen adcommodaverit conformationis. de qua cum in diversissimas abiissent partes viri docti, alii aliis iisque longe disparibus modis verba tradita commutaverunt. In hanc igitur conformationem adcuratius inquiramus, ut emendationi huius carminis firmum tandem substruatur fundamentum.

Verba poetae in codice vetustissimo Laurentiano manu antiqua hoc modo scripta leguntur:

Χορ. παρθ. θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη
χ μεθεῖται στρατὸς. στρατόπεδον λιπὼν
ῥεῖ. πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας.
αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖ
σ' ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.
ἐλεδεμ^{ν}ὰς πεδιοπλοκτύπος
τι χρίμπτεται βοᾶ; ποτᾶται. βρέμει
δ' ἀμαχέτου δίκαν ὕδατος ὀροτύπου
ἰὼ ἰὼ ἰὼ θεοὶ
θεαί τ' ὀρόμενον κακὸν ἀλεύσετε·
βοᾶι ὑπὲρ τειχέων

ὁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς εὐ
τρεπὴς ἐπι πτόλιν διώκων.
τίς ἄρα ῥύσεται. τίς ἄρ' ἐπαρκέσει
θεῶν ἢ θεᾶν
πότερα δῆτ' ἐγὼ ποτιπέσω βρέτη
δαιμόνων. ἰὼ μάκαρες εὔεδροι.
ἀκμάζει. βρετέων ἔχεσθαι, τί
μέλλομεν ἀγάστονοι.
ἀκούετ' ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον.
πέπλων καὶ στεφέων πότ' εἰ μὴ νῦν
ἀμφίλιταν ἕξομεν.
κτύπον δέδορκα. πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός
τί ῥέξεις. προδώσεις   παλαίχθων ἄρης
τὰν τεὰν; ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον.
ἔπιδ' ἔπιδε πόλιν
H
ἄν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου. θεοὶ
πολιάοχοι χθονὸς.
τ
ἴθ' ἴτε πάντες
ἴδετε παρθένων
ἱκέσιον λόχον δουλοσύνας ὕπερ.
κῦμα γὰρ περι πτόλιν
δοχμολόφων ἀνδρῶν καχλάζει πνοαῖς
ἄρεος ὀρόμενον
ἀλλ' ὦ ζεῦ πάτερ παντελὲς πάντως
·γὰρ·
ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν.   ἀργεῖοι δὲ πόλισμα κάδμου
κυκλοῦνται. φόβος δ' ἀρηΐων ὅπλων.   διαδέτοι γενύων ἱππείων
κινύρονται φόνον χαλινοί.
ἑπτὰ δ' ἀγήνορες πρέποντες στρατοῦ
δορυσσόοις σαγαῖς πύλαις ἑβδόμαις
προσίστανται πάλωι λαχόντες.   σύ τ' ὦ διογενὲς φιλόμαχον κράτος
ῥυσίπτολις γενοῦ πάλλας. ὅθ' ἵππιος   ποντομέδων ἄναξ
H H
ἰχθυβόλωι μᾶχανᾶ ποσειδᾶν,
·βου·
ἐπίλυσιν φόνων ἐπίλυσιν δίδου.   σύ τ' ἄρης φεῦ φεῦ
ἐπώνυμον κάδμου   πόλιν φύλαξον κήδεσαί τ' ἐναργῶς.
H
καὶ κύπρις. ἅτε γένους προμάτωρ
ἄλευσον. σέθεν ἐξ αἵματος   γεγόναμεν. λιταῖς σε
θεοκλύτοις ἀπύουσαι   πελαζόμεσθα. καὶ σὺ λύκει' ἄναξ
λύκειος γενοῦ στρατῶι δαΐωι   στόνων ἀϋτᾶς. σύ τ' ὦ

λᾶτογένεια κούρα.   τόξον ἐντυκάζου   ἄρτεμι φίλα.
ἐ ἐ ἐ ἔ   ὄτοβον ἁρμάτων ἀμφι πόλιν κλύω.
ὦ πότνια ἥρα.   ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χνόαι.
ἄρτεμι φίλα   ἐ ἐ ἐ, ἔ
δοριτίνακτος δ' αἰθὴρ ἐπιμαίνεται.
τί πόλις ἄμμι πάσχει τί γενήσεται.
ποῖ δ' ἐτί τέλος ἐπάγει θεός   ἐ ἐ ἐ ἔ
ἀκροβόλων δ' ἐπάλξεων λιθὰς ἔρχεται.
ὦ φίλ' ἄπολλον   κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων
καὶ διόθεν   πολεμόκραντον ἁγνὸν τέλος. ἐν μάχαισί
τε, μάκαιρ' ἄνασσ' ὄγκα προπόλεως
ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύου.   ἰὼ παναρκεῖς θεοὶ
ἰὼ τέλειοι τέλειαί τε γᾶς   τᾶσδέγε πυργοφύλακες.
πόλιν δορίπονον μὴ προδῶ   θ' ἑτεροφώνω στρατῶ.
κλύετε παρθένων κλύετε πανδίκως   χειροτόνους λιτάς.
ἰὼ φίλοι δαίμονες   λυτήριοι ἀμφιβάντες πόλιν,
δείξαθ' ὡς φιλοπόλιες   μέλεσθε δ' ἱερῶν δημίων.
μελόμενοι δ' ἀρήξατε
φιλοθύτων δέ τοι πόλεως ὀργίων   μνήστορες ἐστέ μοι.

In his igitur num conformationis a poeta institutae vestigia supersint videamus. utque ab eis initium capiamus, de quibus nemo inde a Seidlero dubitavit: v. 166—173 et v. 174—179 stropha et antistrophus sunt, quarum aequalitas scil. non nisi uno glossemate (ἑτεροφώνῳ) turbata est. In cod. Laurent. huius strophae singula quidem κῶλα aequabiliter in utraque parte separata sunt, sed initium strophae non distinctum est a praecedentibus. Idem saepissime in hoc codice in canticis huius tragoediae et ceterarum reperitur: ut initia stropharum et antistrophorum novis certe lineis non significata sint.

Iam si quae has strophas proxime praecedit carminis partem contemplamur, primum maxime conspicua est versuum 157 et 165 et a reliquis diversitas et inter se aequalitas eaque talis quae non possit fortuita haberi:

v. 157 ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός;
v. 165 ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύου.

Scilicet systema dochmiacum clausum est clausula iambica dimetro acatalectico constante, cuius prima thesis longa est atque prima et altera arsis solutae (male Seidlerus, quem Hermannus secutus est, eo scilicet tempore, quo primum in dochmios adcuratius inquirentes quam plurima huius metri exempla venabantur, de cretico et dochmio cogitavit et ut versus alter alteri melius congrueret in v. 157 verborum conlocationem mutavit: ποῖ δὲ τέλος ἔτ' ἐπάγει θεός; ⏊ ⏑ ⏖, ⏑ ⏖ ⏊ ⏑ ⏊. Cf. eandem clausulam iambicam in carmine dochmiaco Eumen. v. 161: βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν, v. 167: βλοσυρὸν ἀρόμενον ἄγος ἔχειν. Diudorfius, postquam in libro de metris Aeschyli cet. versui 157 duos dochmios dederat: ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάξει θεός; ἐὲ ἐ ἐ (– ⏖ ⏖ ⏑ ⏊, – ⏖ ⏖ ⏑ ⏊)

et versui 165 paeonem et dochmium (–́ ⏑ ⏑⏑, ⏑ ⏑́⏑ –́ ⏑ –́), in editionibus utrumque versum in codicibus recte traditum in dochmios redegit, in v. 165, ubi scripsit: *ἑπτάπυλον πόλεως ἕδος ἐπιρρύου* vel pervertens sententiam, nam Onca a choro, ut suam ipsius *ἑπτάπυλον ἕδος* sospitet, rogatur. et per se nihili est *πόλεως ἕδος*). Clausulis igitur illis adcurate congruentibus iam satis et ratio antistrophica totius loci indicatur et fines strophae et antistrophi, quarum illa v. 151—157, haec v. 158—165 continet. Idem autem etiam reliqua huius loci dispositione et singulis paene versibus comprobatur. Manifesta est divisio tripartita in utraque parte eadem ratione instituta. etenim prima periodus utrimque ex interiectione eadem et duobus dochmiis eiusdem formae (⏑ ⏑́⏑ –́ ⏑ –́, – ⏑́⏑ –́ ⏑ –́) constat:

v. 151 *ἒ ἒ ἒ ἔ. ὄτοβον ἁρμάτων ἀμφὶ πόλιν κλύω.*
v. 158 *ἒ ἒ ἒ ἔ. ἀκροβόλων ἐπ' ἄλξεων λιθὰς ἔρχεται.*

sic enim scribendum pro *ἀκροβόλων ἐπάλξεων λιθὰς ἔρχεται*, quae ad Argivos referri genetivus vetat; de Thebanis autem ne acciperet, Hermannum vel vox *ἔρχεται* admonere poterat. Poëta dicit: *ἡ τῶν ἀκροβόλων λιθὰς* (*ἀκροβόλων* substantivum est, ut ap. Hesych. *ἀκροβόλοι· ἀκοντισταί, τοξόται*, nisi quod nunc de *λιθοβόλοις* dictum est, qui etiam in v. 298 sq. significantur) *ἔρχεται ἐπὶ τῶν ἄλξεων* (hoc *ἐπὶ τῶν* etiam in codd. superscriptum est), cf. Hesychii glossam ad hunc ipsum puto locum pertinentem:

ἄλξεων, τειχέων

quam ad Euripidis verba *ἐξ ἐπάλξεων* (Troad. v. 946 Phoen. v. 1012) referre maluerunt, quam Aeschylo emendando adhibere. quidni dixerit ille praeter *ἔπαλξις* etiam *ἄλξις*, ut omnes *ἐπαλέξω* et *ἀλέξω*? Ceterum gradatio est in v. 158 et 160: virgines hostem primum eminus, dein etiam cominus pugnantem audire sibi videntur. Cf. Xen. hist. gr. I, 3, 14 de Atheniensibus Byzantium oppugnantibus: *καὶ πρὸς τὸ τεῖχος ἀκροβολισμοὺς καὶ προσβολὰς ἐποιοῦντο*). Altera periodus in utraque parte metro incipit omnium quotquot sunt rarissimo quodque non nisi in singulis huiusmodi invocationibus sive exclamationibus adhibitum est, antispasticum dico (– ⏑́⏑ –́ –):

v. 152 *ὦ πότνι' Ἥρα.*
v. 159 *ὦ φίλ' Ἄπολλον.*

(ne cum Dindorfio et aliis de dactylis cogites in hoc loco agitatissimo) sequentibus duobus dochmiis item eiusdem formae (⏑ ⏑́⏑ –́ ⏑ –́, – ⏑́⏑ –́ ⏑ –́):

v. 154 *ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χνόαι.*
v. 160 *κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων.*

quae omnia fortuito contigisse quisnam audebit dicere? Tertiae periodi initia inaequalia sunt quippe in utraque parte non recte tradita: in stropha legitur:

v. 154 *Ἄρτεμι φίλα ἒ ἒ ἒ ἔ*

in antistropho nil nisi:

v. 161 *καὶ Διόθεν*

sed in stropha pro tetrapodia iambica ab h. l. aliena restituenda quae dochmii formam et indolem exaequat tripodia:

Ἄρτεμι φίλα ἒ ἔ (– ⏑́⏑ ⏑ –́ ⏑ –́)

et in antistropho verbis *καὶ Διόθεν*, quae recte longa thesi et soluta prima arsi incipiunt, addendus est qui (propter *ὁμοιοτέλευτα*, ut videtur) intercidit creticus, quo scilicet quod sententia postulat additum fuit. sicut enim in v. 127 legitur: *ὦ Διογενὲς φιλόμαχον κράτος*, h. l. dictum erat *καὶ Διόθεν ἔκγονον πολεμόκραντον ἁγνὸν τέλος κ. τ. λ.*, quae omnia ad Oncam pertinent. nam poetam interpositis dochmiis non rediisse ad Apollinem, quod Westphalus sumpsit, cum *παῖ Διός* proponebat, non opus est plus uno verbo monere. Ceterum in vetusto cod. Paris. A (2884) lacuna unius vocabuli relicta est inter verba *Διόθεν* et *πολεμόκραντον*, adscriptis verbis, si recte notavi: *λείπει φωνή*. In eodem cod. etiam Pers. v. 532, ubi Laurent. *ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, νῦν Περσῶν* exhibet, genuinae lectionis memoria servata est, habet enim: *ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, νῦν … Περσῶν*, erasa inter verba *νῦν* et *Περσῶν* voce monosyllaba. interpolationem foedam, quae in edit. Turnebi legitur: *ἀλλ' ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, νῦν Περσῶν*, ipsi Turnebo tribuunt, sed longe antea facta est a grammatico graeco. et Turnebus quidem ex cod. Paris. C (2789), quo usus est, eam sumpsit, sed legitur iam in vetustioribus, velut in Florent. plut. XXVIII cod. 25. plut. XXXI cod. 2. Vatican. 1332. Vat. 920. Reg. 92. In parodo nostra Par. A praeterea recte in v. 141 *γάρ* habet, quod in Laur. intercidit, et in v. 155 *δὲ* omittit. — Denique quattuor illi dochmii, qui clausulam strophae praecedunt, eiusdem omnes in utraque parte sunt formae (⏑ ⏑́⏑ –́ ⏑ –́, – ⏑́⏑ –́ ⏑ –́, ⏑ ⏑́⏑ –́ ⏑ –́, – ⏑́⏑ –́ ⏑ –́) praeter ultimum qui in antistropho corruptus est (*Ὄγκα πρὸ πόλεως* pro *Ὄγκα ἐπὶ πτόλεως* sive *ἐπίπτολις*, ut *ἀγχίπτολις*).

In cod. Laurent. huius strophae et antistrophi imago non multum obscurata est, nisi quod initio antistrophi interiectiones *ἒ ἒ ἒ ἔ* non praepositae sunt dochmiis suis, ut in stropha. ac fortasse non casu factum est, ut invocationes illae inter se respondentes: *ὦ πότνι' Ἥρα* et *ὦ φίλ' Ἄπολλον* ita scriptae sint, ut paullulum promineant inter reliquos versus (*ἐν ἐκθέσει κείμεναι*). Quod in v. 162 dochmiorum par male discriptum est:

πολεμόκραντον ἁγνὸν τέλος ἐν μάχαισί

hoc non raro in h. cod. reperitur, cf. in hac parodo v. 142:

γεγόναμεν λιταῖς σε

v. 101:

πέπλων καὶ στεφέων πότ' εἰ μὴ νῦν

et v. 96:

ἀκμάζει βρετέων ἔχεσθαι τί

Prorsus confuse scripti sunt v. 686 seqq.:

τί μέμονας, τέκνον. μή τις σε
θυμοπληρὴς δορὶ μάργος ἄτᾱ φερέτω
κακοῦ δ' ἐκβάλλ' ἔρωτος ἀρχάν.

et v. 203 seqq., in quibus sane etiam verba in h. cod. male tradita sunt:

ὦ φίλον Οἰδίπου τέκος. ἔδεισ' ἀκού
σασα τὸν ἁρματόκτυπον   ὄτοβον ὅτι τε σύ
ριγγες ἔκλαγξαν ἑλίτροχοι.

Duas strophas et antistrophos, de quibus dubitari nequit, invenimus, quarum alterum par tripartitum est. In ea quae has duas strophas praecedit carminis parte prae omnibus animum advertit versus claudendis strophis periodisve admodum aptus: iambicus trimeter catalecticus, cuius thesis secunda et tertia latet:

⏑ ⏊ (⏑) ⏊ (⏑) ⏊ ⏑ ⏊ ⏑ ⏊ ⏊

(cf. Pers. v. 1025 et 1037, v. 1059 et 1065, Choëph. v. 630 et 638, Agam. v. 1536 et 1566). Qui cum sexies intervallis aequalibus repetitus sit:

v. 117 *ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν.*
v. 123 *κινύρονται φόνον χαλινοί.*
v. 126 *προσίστανται πάλῳ λαχόντες.*
v. 136 *φύλαξον κήδεσαί τ' ἐναργῶς.*
v. 144 *ἀΰτοῦσαι πελαζόμεσθα.*
v. 149 *σὺ κούρα τόξον εὐτυκάζον.*

quid aliud his indicatur, quam poetam hic quoque stropham et antistrophum composuisse atque utramque in tres divisisse partes aequales? Insunt quidem in hoc loco quae non concinant: abundant in alterius partis initio verba (inepta) *χθονὸς* et *ἴτ' ἴτε πάντες*, in fine alterius praeter verba *Ἄρτεμι φίλα*, quae quis ex v. 154 adscripsit, etiam *ὦ Λατογένεια*. Quod nemo mirabitur qui meminerit huiusmodi additamenta ubique in codd. nostris reperiri, veluti in hac fabula Thebana v. 995 *ἰὼ πόνος ὁ ἐφ' ἡμῖν ἐξημμένος, ἰὼ κακά*, sive v. 998 *κακῶν ἄναξ Ἐτεόκλεις ἀρχηγέτα*, interpretamenta satis vetusta, et quae etiam in cod. Laurent. in verba poetae recepta sunt: v. 996 (*δώμασι καὶ χθονί*) *πρὸ πάντων δ' ἐμοὶ καὶ τὸ πρόσω γ' ἐμοί*, quorum alterum alterius interpretatio est, sicut etiam v. 885 *ἤδη διήλλαχθε σὺν σιδάρῳ οὐκέτ' ἐπὶ φιλίᾳ, ἀλλ' ἐπὶ φόνῳ διεκρίθητε*, et quod post v. 912 ex v. 889 repetitum est: *τετυμμένοι δῆθ' ὁμοῦ*, vel dittographia v. 952 *πόνοισι γενεὰν πόνοισί γε δόμους*. Exemplum huius rei insigne in primo stasimo Promethei legitur, ubi quae huic antistropho:

βοᾷ δε πόντιος κλύδων,
συμπίτνων στένει βυθός,
κελαινὸς Ἄϊδος ἐμβρέμει μυχὸς γᾶς,
παγαί θ' ἁγνορυτῶν ποταμῶν
θρηνοῦσιν ἄλγος οἰκτρόν.

respondebat stropha hanc in se coacervavit farraginem:

μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις
δαμέντ' ἀκαμαντοδέτοις
Τιτᾶνα λύμαις εἰσιδόμαν θεόν
Ἄτλανθ' ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος
κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον
νώτοις ὑποστενάζει.

Nimirum ea est omnino horum carminum conditio (quam qui non adcuratius novit, nihil videt), ut genuinis ubique admista sint quae non a poeta profecta sunt, ita tamen, ut experientia de

hac re edocto et omnia diligenter pensitanti ex vitiis a librariis accumulatis poetae voluntas ac manus adhuc eluceat. Sic in hoc loco ratio antistrophica, praeter divisionem tripartitam in utraque parte aequalem, etiam eo comprobatur, quod initio utrimque post continuam dochmiorum seriem eodem loco invocatio sequitur in altera parte Iovis, in altera Martis, et quod sub finem clausulam iambicam praecedunt quattuor dochmii eiusdem in utraque parte conformationis: primus solus longam thesin habet, quam arsis sequitur in duas breves soluta (*ἑπτὰ δ' ἀγήνορες* et *καὶ σὺ Λύκει' ἄναξ*), reliqui tres brevibus thesibus incipientes nullam arsin solutam habent:

– ⏖́ ⏊ ⏑ ⏊, ⏑ ⏊ ⏊ ⏑ ⏊, ⏑ ⏊ ⏊ ⏑ ⏊, ⏑ ⏊ ⏊ ⏑ ⏊

(quod in priore parte quarto loco legitur *πύλαις ἑβδόμαις*, interpolatio quidem est inepta, sed neque numerus neque formae dochmiorum mutantur emendatione necessaria: deleta scil. voce *ἑβδόμαις*, quae ex adscripto *ἑπτὰ* orta est, et ante *πύλαις* genetivo *πρέποντος* posito, quo praemisso subiectum sententiae *μέδοντες* evanuit. in schol. marg. et interlin. legitur *ἄρχοντες, ἡγέμονες, βασιλεῖς* i. e. *μέδοντες*. verba *πύλαις προσίστανται πάλῳ λαχόντες* integra sunt. In altera autem parte, sicut Apollo per *Λύκει' ἄναξ* significatur utque *Λύκειος* fiat rogatur, poeta Dianam acute et eleganter non nisi verbis *στόνων ἀΐτις* et *κούρα* significasse videtur, choro scil. precante: ut quae soleat gemitus mulierum exaudire, nunc quoque auxilium ferat inque eum finem arcum suum in promptu habeat (*στόνων τ' ἀΐτις σὺ κούρα τόξον εὐτυκάζου*. Cf. Eur. Hipp. v. 166 *τὰν δ' εὔλοχον οὐρανίαν τόξων μεδέοισαν ἀΰτευν Ἄρτεμιν*). Praeterea spectandi sunt in hoc loco duo dochmii formae rarioris, quippe qui responsionem antistrophicam aut comprobare aut infringere idonei sint. alter, qui in posteriore parte servatus est, secundam arsin habet solutam: v. 127 *σύ τ' ὦ Διογενές*. cui quod in altera parte exaequari potest: v. 109 *θεοὶ πολίοχοι*, rationis antistrophicae confirmatio est. alter in priore parte recte traditus secundam thesin longam habet: v. 114 *δοχμολοφῶν ἀνδρῶν*. hac forma etiam tum rariore poeta etiam v. 566, ad significandum scilicet horrorem, usus est: *ἀνοσίων ἀνδρῶν· εἴθε γὰρ θεοὶ κ. τ. λ.*, quibus respondent: (*εἰς*) *ἐπιμόλους· πύργων δ' ἔκτοθεν βαλὼν κ. τ. λ.* Quid hoc loco in altera parte oppositum fuerit, non liquet. Codices hos numeros habent: ⏊ ⏑⏑ ⏊ ⏊ ⏑ – ⏑ – –, aptissimos quidem illos concludendis strophis et ita ab omnibus tragicis sexcenties adhibitos (ap. Aeschyl. v. c. VII, v. 784 et 791. Pers. v. 283 et 289. 1006 et 1012. Suppl. v. 375 et 386), sed ab h. l. prorsus alienos. ac ne dochmium quidem haec verba fingi patiuntur. nam mutata verborum conlocatione: *ἰχθυβόλῳ, Ποσειδάων, μαχανᾷ*, nihil proficitur nisi ut mediis dochmiis hiatus inferatur inlicitus. poetam hic usum esse putaverimus voce, quam etiam in Eumen. v. 157 in eodem dochmii loco posuit: *ἰχθυβόλῳ κέντρῳ*, quod una voce Graeci dicebant *ἰχθυκέντρῳ*, cf. Pausan. ap. Eustath. 811, 42: *ἐλέγετο δὲ καὶ ἰχθύκεντρον κατὰ Παυσανίαν ἡ τρίαινα*, Poll. X, 133: *τριόδους, τρίαινα, ἰχθύκεντρον* et Phot. Suid. Hesych. *ἰχθυόκεντρον, τὴν τρίαιναν*. In codd. Aeschyli autem grammaticus interpretamento latiore usus esse videtur: *ἰχθυβόλῳ μηχανῇ*, ut si dixisset *ἰχθυβόλῳ ὀργάνῳ* (ut ap. Cornutum Nat. Deor. p. 194 de tridente legitur *ὡς ἐπιτηδείου τούτου τοῦ ὀργάνου πρὸς τὴν κίνησιν τῆς γῆς ὄντος*). Fortasse etiam *ἡ λιθοβόλος μηχανή* memoriae eius adversabatur! Hoc sane incertum est, sed de eo vix dubitari posse videtur: hoc loco in utraque parte quattuor dochmios quattuor diversis formis praeditos a poeta positos esse:

_ ⏖́ ⊥ ⏑ ⊥,   _ ⏖́ ⊥ _ ⊥,   ⏑ ⊥ ⊥ ⏑ ⊥,   ⏑ ⏖́ ⊥ ⏑ ⊥

v. 109 κῦμα περὶ πτόλιν δοχμολοφῶν ἀνδρῶν καχλάζει πνοαῖς Ἄρεος ὀρμενον.
v. 131 ποντομέδων ἄναξ ἰχθυβόλῳ (κέντρῳ), Ποσειδὰν, φόβων ἐπίλυσιν δίδου.

(quod in cod. Laur. superscriptum est φόβου, interpretatio est genuinae lectionis φόβων, cf. v. 270 — φόνων ἐπίλυσις qua machina fiet, qui ne sunt quidem? — et repetitio vocis ἐπίλυσις adeo non Aeschylea est, ut non dubitandum sit, eam fortuito ortam esse: praeposita scil. hac voce genetivo suo). Quae omnia sic comparata sunt, ut de responsione antistrophica dubitare iniquum esse videatur.

Huius strophae et antistrophi vestigia in cod. Laurent. parum expressa sunt: primum novae strophae vocabulum θεοὶ praecedenti voci ἔθου adiunctum est:

ἄν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου. θεοὶ
πολιάοχοι χθονὸς

et versuum finalium sexies repetitorum tres separatim scripti sunt, reliqui tres commixti cum antecedentibus sequentibusve. et quarto quidem:

πόλιν φύλαξον κήδεσαί τ' ἐναργῶς

non mirum est vocem πόλιν praepositam esse, quoniam haec vox in membro praecedente ἐπώνυμον Κάδμου abundabat. contra in sexto:

σύ τ' ὦ
Λατογένεια κούρα   τόξον ἐντυκάζου   Ἄρτεμι φίλα

initium a praecedentibus attrahebatur. sed quintus falsa totius loci dispositione evanuit:

γεγόναμεν. λιταῖς σε
θεοκλυτοῖς ἀπύουσαι   πελαζόμεσθα. καὶ σὺ Λύκει' ἄναξ

huiusmodi autem distinctiones in cod. Laur. etiam in metris tritissimis reperiuntur, cf. ex. c. antistrophum Promethei (v. 431 seqq.) supra memoratam, quae in Laur. sic scripta est:

Η
βοᾶι δὲ πόντιος κλύδων
ξυμπίτνων στένει
βαθὺς. κελαινὸς δ' ἄϊδος ὑποβρέμει μυχός
γᾶς παγαί θ' ἁγνορύτων ποταμῶν κ. τ. λ.

Ibi autem maxime perspicuum est, quantula huius codicis in rebus metricis sit auctoritas, ubi antistrophi versus prorsus alio modo distincti sunt atque stropha, v. c. Pers. v. 949 seqq., ubi stropha sic scripta est:

ἰάνων γὰρ ἀπηύρα
ἰάνων ναύφρακτος
ἄρης ἑτεραλκὴς
νυχίαν πλάκα κερσάμενος
δυσδαίμονά τ' ἀκτάν.

antistrophus autem hoc modo:

ὀλόους ἀπέλειπον τυρίας
ἐκ ναὸς ἔρροντας ἐπ' ἀκταῖς
σαλαμινῖσιν
στυφέλου θείνοντας ἐπ' ἀκτᾶς.

Tria stropharum paria reperimus, quorum duo tripartita. Restant v. 78—107, qui satis longe sane ab aequalitate antistrophica abesse videntur. at haec quae in codd. nostris apparet inaequalitas utrum poetae tribuenda sit an librariis, in id ut adcuratius inquiramus, eo quoque admonemur, quod non intellegitur, cur Aeschylus inde a v. 110 demum, incepta scilicet iam deorum invocatione, chori verba in antistrophicorum ordinem discripserit. Si poeta aliquis post versus libere compositos responsionem antistrophicam infert, in sententiis hoc niti consentaneum est. In parodo Eumenid. v. 244—75 eo temporis momento responsio antistrophica incipit, quo Eumenides Orestem, cuius vestigia odore sanguinis ductae persecutae sunt, oculis tandem suis in scaena conspiciunt (v. 257, ubi ὅδε scribendum, quod monstrando dicunt scilicet), et in Prometh. v. 561 seqq. eo loco antistrophica ordiuntur, quo poeta Ionem, ad significandam scilicet plenam mentis alienationem, canentem fecit, postquam praecedentibus numeris recitatis morbum paullatim ingravescentem descripsit. In parodo nostra si post verba ἀκμάζει βρετέων ἔχεσθαι· τί μέλλομεν ἀγάστονοι; sequeretur θεοὶ πολίοχοι κ. τ. λ., cogitare quis posset, inde ab hoc loco antistrophica initium cepisse; nunc autem intercedit ἀκούετ' ἢ οὐκ ἀκούετε κ. τ. λ. Sic per totum carmen non reperitur locus, qui variatae conformationis causam contineat, imo ita omnia eiusdem sunt indolis, ut aut nihil antistrophicum fuisse putaveris aut omnia. Sed missis huiusmodi argumentis, de quibus facile alios aliter sentire scimus, utrum in ipsis verbis certa rationis antistrophicae indicia reperiantur necne videamus.

Posterior huius loci pars, quae est inde a v. 91, in tres particulas divisa est ea ratione qua hoc in carminibus dochmiacis fieri solet (cf. Eumen. v. 155 seqq. ibid. v. 257 seqq.): post continuam dochmiorum seriem, qua prima periodus constat, altera senario ex puris iambis constante incipit: ἀκούετ' ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον; Tertiam quoque senarius orditur ex puris iambis constans, sed quorum tertius in tribrachyn solutus est: κτύπον δέδορκα· πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός. neque fortuito inter dochmios bacchiosque positi sunt trimetri illi, sed ita ut simul sententiarum fines circumscribant: cohaerent v. 91—99, v. 100—103, v. 104—108. Eandem igitur hic ante oculos habemus quam in reliquis reperimus divisionem tripartitam. Iam si cum his versus 78—90 comparamus, primum manifestum est, hos quoque in tres divisos esse partes et intervallis alteri parti aequalibus distantes et in sententiarum periodis nitentes. etenim poeta virginum trepidationem gradatione ingeniosa ita describit, ut primum de pulvere sermo sit, quem virgines oculis cernentes hostes adpropinquare argumentantur; dein de equitum, quem audire sibi videntur, strepitu; denique de peditum iam iam ad urbem adgredientium clamore (in altera parte vel singulorum armorum sonitum audiunt: clypeorum v. 100, hastarum v. 105. in penultima denique stropha initium pugnae auscultare sibi videntur). Itaque totus locus, de quo quaeritur, ex duabus partibus aequalibus constat, quarum utraque tres periodos parallelas continet. In cod. Laur. et duae partes illae et utriusque partis tres periodi novis lineis distinctae sunt.

Nunc singulas periodos conferamus. Prima in utraque parte tantum non prorsus aequalis est. cohaerent v. 78—90 sicut in altera v. 91—97, nam verbis *μεθεῖται στρατός* usque ad *ἔτυμος ἄγγελος* rationes sententiae in primo versu prolatae exponuntur. quod tam manifestum est, ut ne Hermannus quidem, etsi singulas choreutas tantopere in deliciis habebat, ausus sit hos quinque versus disiungere. Dein manifestum est, utrumque locum ex continua dochmiorum serie, quae in altera parte uno tantum verbo turbata est, compositum fuisse. primi quidem duo dochmii quod non concinunt, non mirum, cum initium carminis corruptum sit. sed, quod non leve conformationis antistrophicae testimonium est, tertius dochmius, qui eo inter praecedentes et sequentes insignis est, quod nulla eius arsis soluta est, in utraque parte prorsus aequalis est:

v. 79 *μεθεῖται στρατός·*
v. 91 *θεῶν ἢ θεᾶν·*

Eandem formam dochmius penultimus et antepenultimus habet, ultimi autem arsis prima soluta est. haec quoque in utraque parte prorsus congrua:

v. 81 *με πείθει φανεῖσ' ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.*
v. 90 *ἀκμάζει βρετέων ἔχεσθαι· τί μέλλομεν ἀγάστονοι;*

Hos igitur locos lege antistrophica colligatos fuisse quis dubitare potest?

Hoc tamen quominus v. d. agnoscerent, altera periodus (v. 83—85) maxime deterruisse videtur, quae in universum quidem similem versibus 100—102 tenet cursum, sed in singulis quam maxime dispar est. Inde autem concludere non fuisse hos locos olim aequales, propterea audacius sit, quoniam v. 83—85 in codd. nostris ita comparati sunt, ut de forma eorum genuina omnino nihil certi dispici possit.

In tertia quoque periodo codices nostri multa habent inaequalia. non habent v. c., quod maxime conspicuum est, in altera parte senarium in tertia arsi solutum, sed alios numeros (non eosdem omnes: *ἰὼ* bis, ter, quater ante *θεοί*, etiam semel vel bis ante *θεαί* positum est), quos editores in hos tres dochmios redegerunt:

ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαί τ' ὀρόμενον κακὸν ἀλεύσατε.

in quibus nunc omnes adquiescunt, non cogitantes, quid sic poetae tribuere audeant. nam primum in mediis dochmiis syllabam ancipitem positam esse patiuntur (*κακὸν ἀλεύσατε. βοὰ ὑπὲρ τειχέων*). dochmii autem quotquot cumulantur continui sunt neque syllaba anceps sive hiatus interponitur (exceptis interiectionibus exclamationibusque) nisi sequente alio metro (quae Eumen. v. 259 in codd. et editt. leguntur: *περὶ βρέτει πλεχθεὶς θεᾶς ἀμβρότου ὑπόδικος θέλει γενέσθαι χερῶν*, testantur, v. 257—60 et v. 261—63 antistrophica esse, in quibus post senarium dimetri iambici (*περιπλεκεὶς*) *βρέτει θεᾶς ἀμβρότου* et *δυσαγκόμιστον, παπαῖ*, inter se respondent). Hermannus quidem et alii in hac parodo syllabas ancipites et hiatus personarum mutatione excusant. quam scilicet ex arbitrio sumunt, de conexu, qui est inter singula sententiarum membra, parum solliciti. Nimirum eodem omnes, qui huic chororum in singulos choreutas partitioni indulgent, errant errore: quod variis personis tribuunt verba, quae non possunt non ab una eademque dicta esse. Si quis v. c. hos quattuor versus:

(α') *θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη.*
(β') *μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών.*
(γ') *ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας.*
(δ') *αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσα κ. τ. λ.*

quattuor virginibus dat, in primo versu (quod supra iam tetigimus) *τὰ μεγάλα ἄχη* a causa in altero versu et sequentibus addita seiungit. In secundo versu quae ne cohaerent quidem coniungit: nam post *μεθεῖται στρατός* interpungendum est, participium *λιπών* ad verbum quod sequitur pertinet. Dein si virgo aliqua dixit: *ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας*, non alia addit: *αἰθερία κόνις με πείθει*, quod subabsurdum, sed eadem, id scilicet addens ex quo colligat ea quae modo dixit. Quae verba *πότερα δῆτ' ἐγὼ κ. τ. λ.* dicit, particula *δῆτα* interrogationem suam ad necessitatem deorum dearumque auxilium petendi modo a se significatam refert. Verba *πέπλων καὶ στεφέων κ. τ. λ.* ab eadem virgine dicuntur, quae modo periculi propinquitatem indicavit. Etiam verba *τί ῥέξεις, προδώσεις κ. τ. λ.* non alia virgo dicit, quam quae modo summum urbi Thebanae ab hostibus imminere periculum significavit. nisi tu forte poetas Graecorum tragicos aut sententiarum 'non bene iunctarum molem indigestam' cumulasse, aut ad proferendas sententias suas singulis choreutis tamquam instrumentis inanimatis usos esse opinaris. Alterutrum sumere debet, qui hic enuntiata singula singulis choreutis tribuit. In v. 88 quicumque verba *βοὰ ὑπὲρ τειχέων* profert, precis modo a se emissae rationes affert, ut vitiosum sit h. l. scribere *κακὸν ἀλεύσατε* sequente dochmio *βοὰ ὑπὲρ τειχέων κ. τ. λ.*, sicut etiam in v. 116 *πνοαῖς Ἄρεος ὅρμενον* sequente *ἀλλ' ὦ Ζεῦ πάτερ*. Praeterea autem v. d. non consideraverunt, quae sit verborum *θεοὶ θεαί τε* pronuntiatio, si duobus dochmiis dantur. Hunc quoque certissimum in versibus canticorum constituendis ducem ac testem neglegere solent: ut videant num verborum pronuntiatio sententiis concinat. quod ad omnes versus pertinet et recitatos et cantatos. quod modos musicos non habemus, nihil ad rem: etiam in canticis rhythmi certam definiunt pronuntiandi rationem, quam consentaneum est nusquam discrepare a sententiis, ad quarum vim exprimendam electi sunt illi scilicet. Sed de numerorum origine non cogitantes qualescumque versus aut recipiunt in codd. repertos aut ipsi fingunt. sic etiam in v. 86 de pronuntiatione verborum non solliciti tres illos dochmios posuerunt. sed recita tibi modo verba *ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαί τ' ὀρόμενον* et senties, quam absona sit haec deorum dearumque in duos dochmios disiunctio. quae nullo pacto a poeta profecta esse potest, imo nihil certius, quam verba illa a poeta ita in versu collocata esse, ut non separarentur alterum ab altero, sed continuo coniunctimque pronuntiaretur: *θεοὶ θεαί τε*. Quid igitur? Qui in variam errorum in codicibus ortorum originem inquisiverunt, sciunt, quoties a grammaticis librariisve et vocativis interiectiones additae sint et adiectiva substantivis suis adposita. sic hoc quoque loco commutatus est in formam vitiosam versus poetae et pulcrior multum tradito aptissimusque huic loco et versui 104 adcurate respondens:

θεοὶ θεαί τε κακὸν ἀλεύσατ' ὅρμενον.
(*κτυπὸν δέδορκα· πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός.*)

Sic remota est syllaba anceps in mediis dochmiis posita et verba *θεοὶ θεαί τε* recte pronuntiantur; quod sine interiectione proferuntur, aptissimum concitationi virginum (cf. v. 109 *θεοὶ*

πολίοχοι, ubi Dindorfius Graecorum librariorum exemplum imitatus: ἰὼ ἰὼ θεοί scripsit). Forma ὄρμενον Aeschylus in omnibus locis usus est cf. praeter v. 115 Ἄρεος ὄρμενον = ἐπίλυσιν δίδου, Agam. v. 1408 ἐξ ἁλὸς ὄρμενον = φρὴν ἐπιμαίνεται, et Suppl. v. 421, ubi τὰν ἕκαθεν ἐκβολαῖς δυσθέοις ὀρμέναν respondet verbis γνῶθι δ' ὕβριν ἀνέρων καὶ φύλαξαι κότον (corr. θεῶν τ' ἄλευαι κότον). Ceterum in lemmate scholiorum ad h. l. ubique ὦ θεοὶ θεαί τε legitur, quod genuinis proximum. Sicut autem initio huius periodi senarius senario respondebat, sic etiam in fine periodi, quod monitus facile puto concedes, ipse poeta clausulae iambicae in altera parte sic traditae:

v. 90 ἐπὶ πτόλιν διώκων.

in altera opposuit:

v. 107 πόλιν ποτ' εὐφιλήταν.

quae verba non nisi interpretatione in aliam abiere formam. ad explicandam scil. maxime vocis ποτέ eleganter interpositae vim grammaticus adscripsit: ἥν ποτε εὐφιλήταν ἔθου.

Sic igitur haec quoque carminis pars quamvis male tradita conformationis quae olim fuit antistrophicae indicia satis manifesta praebet, ut non dubitandum sit, totum carmen a poeta in quattuor stropharum paria redactum esse, quorum tria tripartita. Nihil hodie addimus neque de carminis emendatione, quam eatenus tantum tetigimus, ut indicaremus, posse aliquando aequalia fuisse, quae nunc tantopere discrepant, neque de chori in orchestram inruentis, dein deorum simulacra adeuntis, denique in loco suo preces ad omnes simul deos deasque convertentis ordinibus ac decursu deque figuris artificiosis, quas composuerit poeta, ὃς τοῖσι χοροῖς αὐτὸς τὰ σχήματ' ἐποίει: contenti scilicet, conformationem carminis a poeta institutam ita constituisse, ut certa singula emendandi ratio constet. De prima tantum stropha et antistropho, de quibus maxime dubitatum est, quid ex iis quae reperimus sequatur, paucis indicabimus.

Restituendi igitur sunt initio carminis pro verbis traditis θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη duo dochmii, non quales v. d. huc usque proposuerunt: ⏑ ⏕́ ⏕́ ⏑ –́, ⏑ ⏕́ ⏕́ ⏑ –́, sed huius formae:

⏑ ⏕́ –́ ⏑ –́, ⏑ ⏕́ –́ ⏑ –́

τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει.

namque hoc nunc omnibus notum esse putamus, Aeschylum etiam dochmios stropharum et antistrophorum adcurate inter se respondentes finxisse. Ex quo sequitur, neque verba μεγάλ' ἄχη finem secundi dochmii fuisse, neque θρέομαι finem primi. Nimirum in iis, quae in codd. leguntur, poetae sunt non nisi verba μεγάλ' ἄχη eaque initium, non finis secundi dochmii erant (μεγάλ' ἄχη ⏑ –́, v. c. μεγάλ' ἄχη θροῶ) et voce φοβερὰ (i. e. feminino: metu plena) grammaticus sententiam primi dochmii indicavit (⏑ ⏕́ –́ φόβῳ, v. c. ἑλέδεμας φόβῳ). Praeterea in hac prima periodo dochmiorum series v. 96 verbis δαιμόνων ἰώ turbata reparanda est duce scholio, in quo legitur πότερον πρόσφυγες τῶν πατρῴων ξοάνων γενώμεθα ἢ ἄλλο τι πράξομεν ita quidem, ut sequi possit, quod verbis strophae αἰθερία κόνις respondeat: δαίμονες εὔεδροι, pro quo post δαιμόνων glossema μάκαρες recipiendum esse videbatur.

In altera periodo restituendi sunt in stropha senarius ex puris iambis constans et tres dochmii huius formae: ⏑ –́ –́ ⏑ –́, ⏑ –́ –́ ⏑ –́, ⏑ ⏕́ –́ ⏑ –́, a quibus longissime sane absunt verba

in codd. tradita. Quae cum etiam propter sententias transformanda essent, editores ad unum omnes dochmios finxerunt, veluti

Hermannus: ἑλέδεμας πεδία δι' ὁπλόκτυπ' ὠτὶ χρίμπτειν βοὰ ποτᾶται
Dindorfius: εἷλε δ' ἐμὰς φρένας δέος· ὅπλων κτύπος ποτιχρίμπτεται· διὰ πέδον βοὰ ποτᾶται
Weilius: ἐμὲ δὲ γᾶς ἐμᾶς πεδί' ὁπλόκτυπ' οὖς ποτιχρίμπτεται βοαῖσιν.

alii alios. Attamen is, qui in tractando hoc loco recta ingreditur via, tandem ad senarium perventurus esse nobis videtur. Etenim scholia hanc versus 83 praebent interpretationem:

schol. Med. καὶ τὰ τῆς γῆς δέ μου πεδία κατακτυπούμενα τοῖς ποσὶ τῶν ἵππων καὶ τῶν ὅπλων ποιεῖ μου προσπελάζειν τὸν ἦχον τοῖς ὠσίν.

in quibus grammaticus cod. Laur. inepte scripsit τοῖς ποσὶ τῶν ἵππων καὶ τῶν ὅπλων, solita usus neglegentia, et male disiunxit verba μου τοῖς ὠσίν. melius schol. A.: καὶ τὸ τῆς γῆς δέ μου πέδον κατακτυπούμενον τοῖς ὅπλοις l. ταῖς ὁπλαῖς ποιεῖ μου τοῖς ὠσὶν προσπελάζειν τὸν ἦχον. In his vox ἑλέδεμας sive ἑλεδεμνάς omnino non explicatur. aut igitur aliud subest, quod in hanc vocem corruptum est (quod v. c. Dindorfius sumpsit, qui tamen prae similitudine litterarum sententiarum rationes prorsus neglexit), aut, quod probabilius videtur, haec vox omnino non pertinet ad hunc locum, sed ad initium carminis mancum et imperfectum, unde in alienum locum delata sit, sicut in Persis vox ἔρρανται ex v. 571 in v. 580 inrepsit. Iam quaeritur, cur scholiasta scripserit ποιεῖ προσπελάζειν? aut activum χρίμπτει cum accusativo ante oculos habebat, id quod ii ipsi sumpserunt qui vocem βοὰ ab h. l. alienam esse contenderunt (v. ap. Enger. ἐλασιδέμνιον πεδί' ὁπλόκτυπ' ὠτὶ χρίμπτει βοάν); hoc certe loco voce βοὰ non usus est qui paulo post scripturus erat βοὰ (ὑπὲρ τειχέων) — aut verbum medium active reddidit ille. tunc autem casus singulorum vocabulorum ut permutaret necesse erat. sicut igitur v. c. in v. 94 πότερα ποτιπέσω βρέτη, ubi interpres: πότερον πρόσφυγες τῶν πατρῴων ξοάνων γενώμεθα, in interpretatione accusativus poetae e verbo ποτιπέσω pendens in genitivum e substantivo πρόσφυγες pendentem mutatus est, sic h. l. in scholio accusativus factus esse videtur, qui in poetae verbis nominativus fuit, et nominativus, qui illic genetivus: ὁ ἦχος τῶν πεδίων sive τοῦ πέδου προσχρίμπτεται. sic autem senarius in promptu est, adhibito scil. numero singulari a scholiasta A indicato (v. c. πέδου δὲ γᾶς ἐμᾶς ὁπλοκτύπου ψόφος ποτιχρίμπτεται). Quod sequitur in codd. βοὰ ab h. l. alienum esse, ut modo indicavi, v. 88 ostendit, ubi haec vox abesse nequit, neque scholiasta eam novit, qui ad verba βρέμει δὲ κ. τ. λ. adscripsit: ἠχεῖ . . τὰ πεδία τῆς γῆς μου. Eodem referendum videtur ποτᾶται. certe qui scribunt ποτιχρίμπτεται, ποτᾶται, βρέμει δὲ (ut Westphalus) poetam et blatientem faciunt et balbutientem. Nisi ποτᾶται dittographia fortuita ex χρίμπτεται ortum est, ut v. 110 χθονός, in altero loco aliquis scripsisse videtur βοὰ ὑπὲρ τειχέων ποτᾶται, satis poetice quidem, sed non poterat certe huic loco adhiberi interpretamentum quo vulgo utuntur in enuntiatis verbo carentibus: ὑπάρχει, γίγνεται, ἐστίν. Restant verba βρέμει δ' ἀμαχέτου δικὰν ὕδατος ὀροτύπου, et ipsa non aequalia antistropho, in qua duo dochmii leguntur huius formae: ⏑ –́ –́ ⏑ –́, ⏑ ⏕́ –́ ⏑ –́. Sed vox ἀμάχετος, quae alibi nusquam legitur, et per se parum probabilis videtur, et poetam h. l. sonitum potius quam vehementiam indicasse putaverimus. ut ἀμαχέτου semper nobis visum sit errore scriptum esse pro ἀχέτου. neque casu factum esse arbitramur, sed ex vetustiore memoria, ut in codd. (velut in Ambros. 56. Florent. plut. XXXII cod. 2. Vind. 279) adscriptum reperiatur: πολυήχου i. e. ἀχέτου. In reliquis autem

verbis *δίκαν ὕδατος ὀροτύπου* qui non agnoscit interpretis manum, Hesychium conferat et scholiastam ad h. l.:

Hesych. *ὀροτύπου δίκαν.*

Schol. Med. *ἠχεῖ δέ, φησί, τρόπον ποταμῶν τὰ πεδία τῆς γῆς μου.*

quorum ille eam verborum conlocationem praebet, qua dochmii forma antistropho respondens restituitur, hic autem pluralem: *τρόπον ποταμῶν.* recte, nam substantivum *ὀρότυποι* (cf. *χείμαρροι* et torrentes), quo etiam de personis usi sunt poetae (de *ὑλοτόμοις* et de Gigantibus, quos scil. saxa de summis montibus deiicientes fingebant), hoc loco de torrentibus dictum erat. quod ut clare significaret, alius grammaticus voce *ὕδατος* usus est, quae in verba poetae inrepens loco simul numerum singularem intulit. Sic duos dochmios habemus antistropho adcurate respondentes: *βρέμει δ' ἀχετᾶν ὀροτύπων δίκαν* (cf. Hom. Il. 2, 209 *ἠχῇ, ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης αἰγιάλῳ μεγάλῳ βρέμεται*).

In tertia denique periodo primum restituendi sunt bacchii in antistropho servati. igitur verba inepta *βοὰ ὑπὲρ τειχέων* ita corrigenda sunt, ut simul duobus bacchiis: *τί ῥέξεις, προδώσεις* respondeant. In codd. (velut in Vit. Par. N. Par. B. Par. C. Ambros. 58. Flor. codd. conv. suppr. n. 98) adscripta est interpretatio *πλησίον*, quam vetustam esse arbitramur (grammaticus posterior, qui hoc interpretamentum adscriptum invenit, ipsi voci *ὑπὲρ* eam vim inesse operam dedit docere). sed quomodo de hac re cogitaveris: sententia postulat, quod simul antistropho respondet: *βοὰ πρόσθε τειχέων·*

(vitiosum *ὑπὲρ* ex superscripto *ὑπάρχει* ortum videtur, sic etiam v. 110 *πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός* in codd. adscr. *ὑπάρχει*). Hi duo bacchii autem postquam in dochmium abierunt, etiam sequentes bacchios, quod facile fit, in dochmiorum formam traxerunt: (*βοὰ ὑπὲρ τειχέων*) *ὁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς εὐτρεπὴς ἐπὶ πόλιν*, nam etiam *πτόλιν*, quod cod. Laur. servavit, in aliis in *πόλιν* mutatum est (alios dochmios editores finxerunt v. c. Westphalus, deleto articulo et conlocatione verborum mutata: *λεύκασπις λεὼς ὄρνυται εὐτρεπής*, et Dind. *λευκοπρεπὴς λεὼς ὄρνυται ἐπὶ πόλιν.* Cod. Lips. vel in v. 95 nil nisi dochmios praebet: *πότερα δῆτ' ἐγὼ ποτιπέσω βρέτη δαιμονίων ἰώ*). Restitutis autem bacchiis facile redeunt qui olim aderant alteri quattuor bacchii: (*βοὰ πρόσθε τειχέων·*) *ὁ λεύκασπις ὁρμᾷ λεὼς εὐτρεπισθείς* (in codd. adscr. *εὐτρεπισμένος πρὸς πόλεμον.* sic participia praeteriti alterum altero interpretari solebant). In antistropho autem post tres bacchios (*παλαίχθων Ἄρης τὰν τεὰν γᾶν*) integer senarius sequitur, cui in stropha nil nisi unus bacchius respondet. editores eum ita tenuerunt, ut poetae darent: *τὰν τεὰν γᾶν — πόλιν τεὰν ἂν κ. τ. λ.* non offendentes neque in *κακοφωνίᾳ* neque in *ταυτολογίᾳ* (*τεὰν γᾶν, τεὰν πόλιν*). Scilicet locus interpolatus est, neque origo interpolationis obscura. Poeta *τὰν τεὰν — πόλιν* dederat interposito significanter voce *χρυσοπήληξ*, qua veteris satorum dei memoria excitabatur. Sed postquam ille *τὰν τεὰν γᾶν* dixisse visus est, ut voci *πόλιν* novum quo nunc carebat fulcrum subderetur, Dindorfius quidam integrum interpolando finxit senarium, cuius pars nunc ita abundat, ut etiam in ceteris strophis locos abundantes reperimus. De clausula iambica in utraque parte aequali: (*ὁρμᾷ*) *ἐπὶ πτόλιν διώκων*, in quibus *διώκων* absolute dictum est (in codd. adscr. *σπεύδων*), et *πόλιν ποτ' εὐφιλήταν*, quibus deus rogatur, ut quam olim dilexerit urbem eam nunc ne prodere velit, iam supra diximus.

SCHOLAE

SECVNDVM ORDINES DISCRIPTAE

I. ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM

1. *Professores ordinarii.*

ANDREAS MENZEL Dr. *Privatissime gratis* I. Repetitorium dogmaticum instituet semel p. h. h. IX. *Privatim* II. Theologiae moralis p. II. tradet quater p. h. h. IX.

HENRICVS IOSEPHVS FLOSS Dr. *Publice* I. Historiam ecclesiasticam aevi recentissimi inde ab anno 1846 usque ad praesens tempus bis p. h. enarrabit. *Privatim* II. Archaeologiam ecclesiasticam docebit bis p. h. h. XII. III. Historiae ecclesiasticae p. III enarrabit quinquies p. h. h. XI. IV. Theologiae moralis p. I. tradet quater p. h. h. VIII. V. Artem homileticam explicabit bis p. h. h. VIII. VI. Theologiae pastoralis p. I tractabit ter p. h. h. XII. *Privatissime et gratis* VII. Exercitationes homileticas moderari perget bis p. h. VII. Exercitationes catecheticas bis p. h. moderabitur.

FRANCISCVS HENRICVS REVSCH Dr. *Publice* I. Patrologiam docebit bis terve p. h. h. XI. *Privatim* II. Vaticinia Messiana interpretabitur quater p. h. h. X.

IOSEPHVS LANGEN Dr. *Publice* I. S. Iacobi epistolam interpretabitur semel p. h. h. XII. *Privatim* II. S. Pauli ad Romanos epistolam interpretabitur ter p. h. h. XI. III. Historiae ecclesiasticae p. IV. enarrabit quinquies p. h. h. XII.

2. *Professor extraordinarius.*

HVBERTVS THEOPHILVS SIMAR Dr. *Publice* I. Doctrinam dogmaticam de Sacramentis tradet bis p. h. h. X. *Privatim* II. Theologiae dogmaticae p. I docebit sexies p. h. h. IX.

3. *Privatim docens.*

FRANCISCVS KAVLEN Dr. *Privatim* I. Evangelium sec. Mathaeum interpretabitur quater p. h. h. IV. *Gratis* II. librum Iudith exponet bis p. h. h. V.

II. ORDINIS THEOLOGORVM EVANGELICORVM

1. *Professores ordinarii.*

IOANNES PETRVS LANGE Dr. *Publice* I. Hermeneuticen biblicam tractabit bis dieb. Ven. et Sat. h. IX. *Privatim* II. Ethicen christianam docebit quater dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. IX.

GVILELMVS LVDOVICVS KRAFFT Dr. *Publice* I. Historiam ecclesiae Romano-catholicae a concilii Tridentini temporibus usque ad concilium Vaticanum tradet bis p. h. d. Sat. h. viii et ix. *Privatim* II. Historiam ecclesiae usque ad Gregorii VII tempora enarrabit quinquies p. h. h. xi.

GVILELMVS IVLIVS MANGOLD Dr. *Publice* I. Epistolam alteram ad Corinthios datam interpretabitur semel p. h. h. x. *Privatim* II. Epistolam priorem ad Corinthios datam quatern. p. h. schol. h. x explicabit. III. Historiam dogmatum enarrabit quatern. schol. p. h. h. iv.

ADOLPHVS HERM. HENR. KAMPHAVSEN Dr. *Publice* I. Seminarii regii theologici sodalibus nonnulla Veteris Testamenti capita proponet. *Privatim* II. Iesaiae librum explicabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. viii. III. Introductionem in Vetus Testamentum tradet quinquies p. h. h. xii.

THEODORVS CHRISTLIEB theol. et phil. Dr. *Privatissime et gratis* I. Historiam evangelii a Protestantibus inter paganos propagati delineabit bis h. p. i. *Privatim* II. Artem homileticam ternis scholis tradet dieb. Lun. Merc. Ven. h. xi. III. Theologiam pastoralem docebit ter dieb. Mart. Iov. Sat. h. xi. Praeterea IV. in seminario regio exercitationes tam homileticas quam catecheticas moderari perget.

